

qualis sit sensus seu litteralis, seu spiritualis psalmorum. Institutum et scopus operis mei non permittit, ulterius in explicationem singulorum psalmorum excurrere; prae-

sertim quia plurima in psalterium commentaria iam sunt edita, et adhuc hodie insignia in lucem eduntur, prout iam supra (1) observavimus.

SECTIO II.

DE LIBRO PROVERBIORUM

Iuxta unanimem tam hebraeorum quam catholicorum sententiam, *Salomon* edidit tres libros sapientiales, scilicet Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum canticorum. Dubitarunt autem multi hebraeorum antiquorum, an *Salomon* a Spiritu s. fuerit illustratus in compositione horum librorum. At oppositum declaravit *Esdra*, totaque synagoga, ac ipsa ecclesia Christi, quae praedictos libros in canone s. Scripturae collocarunt. Porro *Salomon* iuxta opinionem s. *Hieronymi* (2) librum Proverborum composuit pro iuvenibus, librum Ecclesiastis pro viris, et Canticum canticorum pro senibus: vel ut *Salmeron* (3) cum aliis existimat, librum Proverborum fecit pro incipientibus, Ecclesiasten pro proficientibus, Canticum canticorum pro perfectis. Nam in primo praecepta tradit ad mores formandos, virtutemque amplectendam: in 2. vanitate omnium rerum terrenarum ostensa, in futurorum et aeternorum bonorum spem erigit, ac ita ad progressum in virtute stimulat: in postremo perfectam charitatem in amoribus sponsi et sponsae delineatam exhibet. Si autem quaeras: An *Salomon* hos tres libros composuerit ante vel post lapsum suum in peccatum et

(1) Quaest. 10 in scholio.
(2) In praef. librorum sapientialium.
(3) Proleg. 10, canon. 52.
(4) Vide *Pinedam* in *Salomone* praevio l. 8, c. 1, sect. 5, et 7.

idololatriam? R. Proverbia et Canticum canticorum verisimiliter composuit ante lapsum: Ecclesiasten vero poenitens post lapsum (4). Incipiendo iam a primo, seu libro Proverborum, est ille, ut modo diximus, absolutissima summa trium moralis doctrinae partium, videlicet ethicae, oeconomiae, et politicae. Ab hebraeis מִסְלֵי *Misle'* vocatur, quae vox sententias graves et apprime utiles significat.

28. QUARES I. An liber Proverborum ecloga sit, sive delectus optimarum sententiarum ex plurimis, qui ante *Salomonem* floruerunt, scriptoribus, ut *Grotius* (Comm. in c. 1 Prov.) cum quibusdam *batavis* asserit? R. negative. Nam hoc *Grotii* assertum repugnat tum s. Scripturae, quae pluribus locis (5) *Salomonem* auctorem Paraboliarum seu Proverborum pronuntiat; tum constanti et antiquissimae hebraeorum et christianorum fere omnium traditioni et persuasioni, *Salomonem* esse auctorem libri Proverborum; tum etiam chronologiae. Non enim dici potest, quinam excellentes illi scriptores ante *Salomonis* aevum fuerint ex quibus sententiae l. Prov. collectae fuerint. De hebraicis enim non constat: gentilium vero sapientum vix nomen, primam ante olympiadem quadragesimo fere annis *Salomone* posteriorem fuit auditum. Accedit,

(5) Proverb. c. 1, v. 1; et cap. 25, v. 1. Item Ecclesiastis, cap. 12, v. 9: et l. Reg. c. 4, v. 52.

quod veteres legislatores et philosophi, iuxta probabilem multorum patrum opinionem, sapientiam potius ex s. Scriptura hauserint, quam scriptores sacrorum librorum ex veteribus philosophis; prout in solutione III quaestionis ostendimus.

29. QUARES II. An liber Proverborum, si a *Salomone* in scelera luxuriae et idololatriae lapsus scriptus esset, propterea e canone sacrorum librorum foret eliminandus? R. negative. Nam licet homo sit malus et vitiosus, tamen Deus per illum suas veritates manifestare potest; sicut prophetauit per *Balaam* (1), et per *Caipham* (2). Pulcre hanc in rem s. *Augustinus* (3) loquens de Canticum canticorum ait: « *Salomon* erat tempore suo filius David, magnus ille, per quem multa sancta praecepta, et salubria monita, et divina sacramenta Spiritus s. in divinis literis operatus est. Nam ipse *Salomon* mulierum amator fuit, et reprobus est a Deo. . . . Sed si illo cadente, quae per illum dicta sunt, deleberentur, iudicaretur, quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optime igitur etiam hoc egit misericordia Dei, et spiritus eius, ut quidquid boni per *Salomonem* dictum est, Deo tribueretur, peccatum autem hominis homini. » Caeterum librum Proverborum *Salomon* verisimiliter ante, et non post lapsum suum composuit; prout supra cum *Calmeto* (4) in praefatione ad l. Proverb. observavimus.

(1) Num. c. 25 et c. 24.

(2) Ioan. c. 11, v. 50 et 51.

(3) Euarrat. in psalm. 126.

(4) Praef. in librum Proverb.

(5) Admonitione ad gentes.

(6) Adversus Iulianum l. 1.

(7) In opere adversus graecos, seu gentiles.

(8) Toto libro 11 praeparat. evang.

30. QUARES III. An veteres legislatores et philosophi leges suas et moralem scientiam ex libro Proverborum, aliisque s. Scripturae partibus hauserint? R. rem hanc inter ipsos catholicos esse controversam. *Calmet* citans pro se *Origenem*, *Tertullianum*, s. *Augustinum* ac *Lactantium*, propendit in sententiam negativam: affirmativa tamen (fatente ipso *Calmeto*) maiori nititur auctoritate. Eam enim tenent *Clemens Alex.* (5), s. *Cyrillus Alex.* (6), *Theodoretus* (7), *Eusebius* (8), s. *Iustinus M.* (9). Porro *Origenes*, *Tertullianus* et s. *Augustinus* pariter affirmativam tenent, aut saltem dubium et controversum est, utri sententiae affirmativae vel negativae magis accedant. Denique affirmativae etiam favent *Hermippus* (10), et *Iosephus Iud.* (11). Plura de hac quaestione *Calmetus* (12) in speciali quadam dissertatione. Item *Huetius* (13) et *Weissenbachius* (14) in medium proferunt.

31. QUARES IV. Quomodo verba illa (Prov. 6, v. 1 et 2) *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus, conveniant cum charitate proximo debita, quae saepe petit, ut ad iuvandum amicum vel alium sponsionem faciamus?* R. Liber Proverborum solum agit de sponsione temeraria, qua e. g. iuvenes improvidi suas

(9) Apolog. 1, part. 15, edit. paris. 1656.

(10) Apud Iosephum lib. 1 contra *Appionem*.

(11) Lib. 2 contra *Appionem*.

(12) Ante suum commentarium in lib. Proverb.

(13) In demonstrat. evang. propositione 4, c. 8.

(14) Nova forma theologiae biblicae t. 2, l. 4, q. 22.

non raro facultates periculo eas perdendi exponunt; nequam vero de illa sponione, quam proximo, in necessitate constituto, charitas imperare solet.

32. **QUAERES V.** *Quomodo illud* (Prov. 6, v. 6-9): *Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius, et disce sapientiam: quae parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat, cum illis Christi verbis* (Matth. 6, v. 34): *Nolite solliciti esse in crastinum, concordet? Liber Proverbiorum loc. cit. agit de iis, qui ex pigritia nullam curam habent rerum temporalium; quos proin iubet, providos esse: Christus vero loquitur de illis, qui rebus mundanis se nimium impendunt contra illud, quod v. 33 immediate praecedente dictum est: Quaeite — primum regnum Dei, et haec omnia adiciuntur vobis.*

33. **QUAERES VI.** *An verba illa* (Prov. 6, v. 30): *NON GRANDIS EST CULPA, CUM QUIS FURATUS FUERIT, non sint illicium furandi?* R. Negative. Nam his verbis Salomon furtum non excusat ab omni culpa et poena, sed solum dicit, illud esse minorem culpam, quam adulterium, praesertim si ex necessitate aliqua, et famis pellendae causa fiat, prout ex contextu patet, qui ita habet: « Qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus, cum tetigerit eam. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam. Deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suae tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam etc. » hoc est, per insipientiam et insaniam perdet animam suam.

(1) Vide lexicon universal. lipsiens. tom. 10, art. *Glas*, seu *Vitrum*.

(2) L. 56, c. 27.

34. **QUAERES VII.** *Quomodo illud* (Prov. 10, v. 3): *NON AFFLIGIT DOMINUS FAME ANIMAM IUSTI, congruat cum experientia, iuxta quam plures iustos et pios reperire est, quibus domi res valde arctae?* R. ad hanc quaestionem iam respondimus supra, quando de libro psalmodum egimus quaest. XIV, num. 16.

35. **QUAERES VIII.** *Quomodo Salomon* (Prov. 23, v. 31) *scribere potuerit: NE INTUEARIS VINUM, QUANDO FLAVESCIT, CUM SPLENDUERIT IN VITRO COLOR EIUS; cum tamen* (ut quidam incredulorum ait) *Salomonis aetate vitrum nondum fuerit inventum?* R. Nego, quod tempore Salomonis nondum inventum fuerit vitrum. Quamvis enim certa origo et initium artis constandi vitra nesciatur; ea tamen antiquissima est, et iam apud veteres sidonios (1), qui erant Palaestinae vicini, viguisse dicitur. Praeterea Aristophanes de vitris causticis apud athenienses, et Plinius (2) de sabulo Beli fluvii in Phoenicia, quod multa per secula gignendo vitro fuissent, loquuntur. Enimvero ex gemino hoc testimonio antiquissimorum auctorum satis apparet, usum vitri aetate Salomonis non fuisse in Palaestina prorsus ignotum. Accedit, quod in fonte hebraeo (3) non legatur in vitro, sed in calice, puta pellucido v. g. crystallino; quo sensu etiam in libro Iob (4) de vitro videtur sermo esse, quando dicitur: *Non adaequabitur ei (Sapientiae) aurum vel vitrum.* Ubi per vitrum intelligitur crystallus, aut adamas, qui lapides vitro similes sunt; quamvis alii hunc textum de vitro ipso intelligunt, quod olim fuit in non exiguo pretio. Vide *Menochium* in hunc locum.

(5) Prov. c. 25, v. 31.

(4) Cap. 28, v. 17.

36. **QUAERES IX.** *An ex verbis illis* (Prov. 24, v. 16): *SEPTIES ENIM CADET IUSTUS ET RESURGET, anonymus quidam in opusculo, Nouvelle liberté de pensées, recte inferat, religionem tantopere adversari naturae humanae, ut etiam, qui maxime sunt religiosi, nihilominus fere singulis horis in peccatum labantur, fatente idipsum hoc loco Scriptura?* R. Iste anonymus verae religionis impius contemptor, qui toties sibi et libertatem, et novitatem cogitationum gratulatur, neque veretur dicto modo religionem in invidiam vocare, debuisset ad sequentia bene attendere. PRIMO: Liber Proverbiorum cit. loc. non dicit, iustum septies de die cadere, sed septies, id est, saepius universe. Quamvis enim auctor catenae graec. Cassianus (1), et nonnulli codices manuscripti legant cit. loc. septies in die cadit iustus, ex quo non pauci colligunt, iustum ordinarie non posse se cohibere per unum diem, quin in aliquod peccatum veniale, imo in septem, id est, in plura labatur; tamen, ut Cornelius a Lap. (2), recte monet, in die, nec est in textu hebraeo, nec in LXX et vulgata nostra, ceterisque codicibus impressis; adeoque ex hoc textu sacro non sequitur, quod homines etiam maxime religiosi fere singulis horis in peccatum labantur. Imo teste Suarez (3) ipse Soto et Vega expresse admittunt, iustum ad unum diem posse abstinere a peccato veniali: et s. Augustinus (4) docet, iustos praesertim cautiores et puritatis conscientiae studiosos, posse aliquo tempore esse puros ab omni peccato veniali (5). SECUNDO: Dicitur

(1) Collat. 22, c. 15.

(2) Comment. in lib. Proverb. c. 24, v. 16.

(3) Tom. 5 de gratia lib. 9, c. 8, n. 29.

quidem cit. loc. septies cadet iustus; sed mox additur: *Et resurget, i. e. resipiscet.* TERTIO: Ibidem non intelliguntur alii lapsus hominis iusti, quam leves et veniales, et a quibus statim resurgunt. Hinc leves hi lapsus in eodem versu opponuntur gravibus et lethalibus impiorum lapsibus hoc modo: *Septies enim cadet iustus, et resurget; impij autem corruent in malum.* Quid autem mirum, quod homo quantumvis iustus in statu naturae lapsae, et per peccatum originale (cuius poenalitates etiam post baptismum remanent) corruptae, non raro in leviores defectus seu culpas labatur, a quibus tamen, quae Dei bonitas est, brevi resurgit, ac sese restituit? Aut an Deus ad obtinendam maiorem humilitatem hominum iustorum vel ex aliis altissimis finibus non potest permittere eiusmodi tenues lapsus, quin aliquid suae infinitae perfectioni et sapientiae, aut sanctitati religionis ab ipso institutae decedat?

37. **QUAERES X.** *Quomodo auctor libri Proverb. sinè contradictione* (Prov. 26, v. 4) *dicere potuerit: NE RESPONDEAS STULTO IUXTA STULTITIAM SUAM, NE EFFICIARIS EI SIMILIS, et tamen* (ibidem v. 5) *mox addere: RESPONDE STULTO IUXTA STULTITIAM SUAM, NE SIBI SAPIENS ESSE VIDEATUR. An respondere, et non respondere stulto iuxta stultitiam suam, nulla contradictio?* R. Nulla est contradictio. Nam, ut interpretes recte monent, sensus prioris textus sacri est: Ne cum stulto stulte ac insipienter agas, scilicet imitando illius stultitiam verbis et gestibus, vociferando, contendendo, conviciando, ut colligitur ex verbis

(4) L. 2 de pec. mer. c. 2.

(5) Plura hanc in rem vide apud Nicolaum Lancisium, opusc. spiritual. 16, l. 2, c. 1, conclus. 7, n. 261.

immediate additis, *ne efficiaris ei similis*. Sensus vero posterioris textus est: Responde stulto iuxta meritum stultitiae suae, et modo ad eum redarguendum accommodato. Hinc additur: *Ne sibi sapiens videatur*. Convincendus nimirum est homo imprudens seu stultus solidis rationibus, et gravibus prudentibusque verbis, vel si opus est, etiam verberibus arguendus et castigandus, iuxta illud (1): *Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium*.

38. QUÆRES XI. *Quomodo Salomon* (Prov. 30, v. 2) *de seipso dicere potuerit: Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum: cum tamen* (III. Reg. c. 3, v. 12) *Deus dicat Salomoni: Dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit: quin et post lapsum suum Salomon* (Eccl. c. 2, v. 9): *Sapientia quoque perseveravit mecum, de se ipso testetur?* R. Omnis apparens antilogia evanescit, si consideremus, quod verba primi textus proferantur a Salomone (si tamen ea Salomonis sunt) modestiae causa, ut sensus illorum sit: *stultissimus sum*, si quae ex me habeo vel scio, secluso Deo, spectem. Unde mox subdit: *Sapientia hominum non est mecum*, q. d.: Sapientia non est a me humano studio acquisita; sed si quid nactus sum sapientiae, id omne a Deo didici et accepi.

(1) Prov. c. 26, v. 3.

Dixi: *Si tamen haec verba sunt Salomonis*. Nam Menochius cum non paucis aliis contendit, citatum cap. 30. Prov. proprie auctorem habere Agur, cuius tamen dicta Salomon suis adiunxit parabolis, tanquam illis consentientia, et iisdem plane digna. Unde cum ea suis dictis admiscuerit iisdemque subscripserit, merito tanquam Salomonis citantur (2).

39. QUÆRES XII. *Quomodo locus Scripturae* (Prov. c. 31, v. 22) *ubi commendatur valde mulier, quae sibi stragulatam vestem confecerat, et in bysso et purpura incedebat, concilietur cum aliis Scripturae locis* (Luc. c. 16, v. 19) *ubi vituperatur homo dives, qui induebatur purpura et bysso: item* (I. Timoth. c. 2, v. 9), *ubi mulieres ornare se veste pretiosa prohibentur?* R. ss. Lucas et Paulus intelligendi sunt de cultu foeminarum superfluo et immodico, neglectis interim pauperibus, aut aliis officiis probae foeminae. In I. Prov. autem loc. cit. describitur uxor viri nobilis, et senatorii ordinis; quae tamen non omisit munia probae mulieris adimplere, et suam manum large pauperibus aperire: prout ibidem fuse recensetur, ac inter alia expresse dicitur (3): *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes*.

(2) Vide Menochium et Calmetum comment. in Prov. c. 30, v. 1.

(3) Prov. c. 31, v. 19.

SECTIO III.

DE LIBRO ECCLESIASTAE

Illius libri auctor est Salomon, ut in praefatione ad lib. Prov. iam diximus, ac ex ipso Eccl. c. 1, v. 1, patet, ubi dicitur: *Verba Ecclesiastae filii David, regis Ierusalem*. Nullus enim filiorum David fuit rex in Ierusalem, nisi Salomon (1). Porro hic liber videtur scriptus a Salomone post lapsum, et agnitam peccaminosarum voluptatum vanitatem, ut hebraei, s. Hieronymus, et commentatores plerique autumant.

Idem liber hebraice vocatur קהלת *Cohelath*, id est, *congregatrix*. Solent enim hebraei nominibus generis foeminini pro masculinis interdum uti, ad exprimendam magis rei praestantiam et elegantiam. Itaque se congregatricem appellat Salomon, hoc est, elegantem concionatorem, qui ecclesiam seu coetum ad concionem audiendam congregat; graece hic liber dicitur *Ἐκκλησιαστής Ecclesiastes*, id est, *concionator*: nam more propemodum concionatorio de rerum vanitate, aliisque argumentis ad mores formandos idoneis disserit.

40. QUÆRES I. *An Lib. Ecclesiastes merito in canonem sacrorum librorum relatus sit?* R. Affirmative. Id enim constat ex constanti synagogae et ecclesiae consensu de libri huius divinitate; item ex aliis argumentis pro canone sacrorum librorum catholico alibi (2) adductis.

(1) Vide Calmetum praefat. in lib. Ecclesiastis, ubi Grotii, et aliorum negantium, Salomonem esse auctorem libri, falsam opinionem refutat. Eandem opinionem etiam refellit Hermannus Goldhagen in Script. p. 2, sect. 5, § 2, n. 148 et 149.

Quae autem contra theopneustiam seu divinitatem libri Ecclesiastis a quibusdam sectariis, vel incredulis obiici solent, in sequentibus quaestionibus solventur.

41. QUÆRES II. *An Lib. Ecclesiastes faveat epicureis?* R. Negative. Scio quidem, priscos hebraeorum rabbinos in talmude ausos fuisse, Ecclesiastem huiusmodi erroris arguere, ideoque deliberasse de eo penitus repudiando, non alia re absteritos, quam quod et initium, et finis lib. Ecclesiastis legi consentiant; uti videre est tum apud Maimonidem, tum apud s. Hieronymum (3). Haud maiore reverentia de Ecclesiaste opinati sunt veteres quidam haeretici (4) cum Theodoro Mopsuesteno. Iisdem hac in re consentiunt Lutherus, Grotius, alique cum famoso illo impietatis magistro Voltairio (5), qui de Ecclesiaste dicit, mirandum esse, quod iste epicureismum redolens liber canonis sacrorum librorum insertus sit. Sed nempe id factum, ait, eo tempore, quo libri erant perquam rari, et magis admirationi, quam lectioni serviebant. At quaeso, unde Voltairius novit, illo tempore adeo raros fuisse libros? Numquid non ipse Ecclesiastes (6) expresse dicit: *Faciendi plures libros nullus est finis?* Plura contra impiam Voltairii de Ecclesiaste assertionem invenies apud d. abbé Nonnotte (7). Illud

(2) Vide Scripturae s. contra incred. propugn. part. 4, q. 1.

(3) In fine commentarii in ecclesiast.

(4) Vide Philastrum, haeres. 135.

(5) In lexico philos. manuali.

(6) Cap. 12, v. 12.

(7) In lexico philosoph. relig. art. Ecclesiaste.